



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatus De Conscientia, De Peccatis, De Legibus, De Fide, Spe,
Et Charitate

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

§. 3. An in legibus ferendis pro tota Ecclesia, vel aliqua illius parte errare
Pontifex possit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76540](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76540)

§. III.

An in legibus ferendis pro tota Ecclesia, vel aliqua illius parte errare Pontifex possit?

- 1. In sententia aliqua ferenda circa res gestas potest ex malitia vel ignorantia Pontifex errare.
- 2. Item errare potest secundum prudentiam in multiplicandis legibus circa res agendas.
- 3. Proponitur difficultas. An possit statuere uniuersali Ecclesia obseruandum, quod malum sit, & rationi dissonum?
- 4. Statuitur id fieri non posse, & satisfi rationi dubitandi.
- 5. Exceditur conclusio ad leges pro vna prouincia factas.

Certum est apud omnes. Pontifex vel ex malitia, vel ex ignorantia errare posse in sententia aliqua ferenda circa res gestas; potest enim innocenter condemnare, & reum absolueri: neque tunc dicitur Pontifex, quatenus talis est, errare; sed quatenus est quadam specialis persona iudex eorum constitutus, Bannes 2. 2. q. 1. art. 10. dub. 6. conl. 4. vbi bene aduertit, si ex huiusmodi sententis aliquis peccatiuos error alicui particulari Ecclesie: vel personae priuatae sequatur, non esse inuentionem Pontificis ad minus obseruandam obligare; iuxta eorum ex. si quando. de rescriptis; vbi dicitur, si quando aliqua que tractantur dirigitur, que animum tuum exasperare videntur, turbari non debes, &c. qualitate negotij, pro quo tibi scribitur, diligenter considerans, aut mandatum nostrum recitantes adimplens, at per litteras tuas, quate adimplere non possis, rationabilem causam prætendens.

2. secundo est certum posse errare secundum prudentiam in multiplicandis legibus rerum agendarum, vel statuendis, que non ita Ecclesie conuenientes sunt. Ex quo sæpe oritur mutare, vel abrogare Pontificem, que eius prædecessores statuerant, Bannes *suprà* conel. 2. ad 2. Nunquam tamen dicendum est in specialibus calu errare, quia esset quis temerarius, cum pro impio semper debeat esse pro legislatore.

3. Controuersia ergo esse potest, an possit Pontifex vel ex malitia, vel ex ignorantia statuere aliquid a fidelibus obseruandum, quod malum sit. Ratio difficultatis est, quia talis error non videtur damnosus Ecclesie: siquidem Ecclesia non peccat illum amplectendo. Deinde Petro, & eius successoribus promissa est firmitas fidei, morum autem honestas non videtur promissa. Ergo in hac poterit esse error; secus in rebus fidei.

4. Certum credo de fide esse, non posse Pontificem statuere aliquid ab vniuersali Ecclesia obseruandum, quod legi diuinae, vel naturali contrarium sit. Probo primo, quia de fide est Pontificem errare non posse in patendis omnibus: sed quos non solum doctrina fidei, sed morum instituta pascuntur. Ergo de fide est in his institutis errare non posse. Secundo, de fide est in Ecclesia deficere non posse spiritum veritatis; sed si Pontifex obseruandum præcipere legi diuinæ contrarium, iam spiritus veritatis in Ecclesia deficiet. Ergo Tertio, de fide est Pontificem in rebus fidei non posse errorem docere, sed ex eo quod præcipere, aliquid obseruandum contrarium legi diuinæ, errorem doceret, quia doceret credere hoc esse obseruandum, quod est error in fide. Ergo. Ex hisque soluitur ratio dubitanda; licet enim concedamus Ecclesiam obediendo iis legibus, & praeceptis institutis non peccatam: at negari non potest peccatiolo errore maculari, à quo Christus Dominus roluit Ecclesiam liberare; tum cum promissit eius fidem non defuturam: tum cum Petro, & eius successoribus imperauit quos suas pascere salubri doctrina, & rectis morum institutis.

5. Quod si lex, & constitutio pro vna prouincia, vel diocesi feratur; est aliqui Doctores sentiant errare posse Pontificem, quia tunc munus Pontificis gerere non videtur, eo quod vniuersalem Ecclesiam non addungat: at credo de fide esse nec tunc posse. sic docet Bannes 2. 2. q. 1. art. 10. dub. 6. conel. 4. Est ratio videtur manifesta, primo, quia Pontifex, quatenus supremus est pastor, legem statuit obligantem aliquam prouinciam, quia secundum hanc rationem, non solum regionem totius Ecclesie illi commissum est: sed etiam cuiuslibet prouinciae. Si ergo respectu totius Ecclesie errare non potest, quia illius est suprema regula veritatis, cum etiam respectu cuiuslibet prouinciae sit eadem regula, efficiatur sane errare nullo modo posse. Secundo, si admittas errare posse Pontificem in statutis specialibus, præcipiendo, inquam, obseruari ab aliqua prouincia, quæ contraria sunt legi diuinæ, seu naturali; videtur admittere errare posse circa totam Ecclesiam. Nam Ecclesia vniuersalis si sciens habet fundamentum ad credendum sic ordinatum, & præceptum bonum esse, & seruandum ab illa prouincia, sed tale iudicium erroneum est. Ergo cogitur ex errore speciali Pontificis Ecclesia vniuersalis errare, quod non est dicendum.

Errd. de Castro Sum. Mor. Pars I.

§. IV.

An sit de fide Pontificem errare non posse in canonizatione Sanctorum.

- 1. Qui negare videantur, & qua ratione probent.
- 2. Probabilis est de fide esse Pontificem errare non posse.
- 3. Satisfi argum. num. 1. adductis.
- 4. Canonizatio Sanctorum soli Pontifici competit.

Negare videtur D. Thom. quodlibet. 9. art. vlt. affirmat namque canonizationem Sanctorum medium esse inter iudicium infallibile Papæ de rebus fidei, & iudicium fallibile eiusdem de rebus ciuilibus, & criminalibus. Vnde infert piè tantum credi non posse tale iudicium fallax esse. Idem asserit D. Anton. in 5. p. tit. 12. cap. 8. Caeran. in opuscul. de indulgenti. ad Iulium, cap. 8. Melchior Cano lib. 5. de locis, cap. 5. Bannes 2. 2. q. 1. art. 10. dub. 7. conel. 2. Omnes enim ij affirmant de fide non esse Pontificem errare non posse in canonizatione Sanctorum: at esse ita certum, vt temerarium sit, scandalosum, & hæresim sapiens, affirmare Pontificem errare posse.

Mouetur primo, quia canonizatio Sanctorum fit ex testimonio habito de sanctitate, & miraculis Sancti canonizati, sed hoc testimonium, cum humanum sit, fallax esse potest. Ergo. Secundo vt fide diuina credere cogemur, hunc canonizatum in celo esse: fide diuina credere temeremur, illa miracula, sanctitatem illius quibus canonizationem motus Pontifex fuit, vera esse; atqui hoc est impossibile, quia impossibile est fide diuina credere veritatem, quæ reuelata non sit, sed miracula, & sanctitas illius canonizati, imò status illius in celo nullibi reuelata sunt. Ergo. Confirmito, Ecclesia non proponit nouum articulum fidelibus credendum, qui Apostolis, canonicique scripturis propositus non sit: sed nullibi propositum Augustinum, Franciscum, Dominicum, Ignatium in caelis esse: ergo cum Ecclesia id ipsum proponit, non proponit tanquam fidei articulum, sed tanquam veritatem omnino certam moraliter, & cui fides humana merito adhiberi debeat. Tertio solum hæreticum esse censetur, qui negat in Pontifice auctoritatem declarandi Sanctorum statum: non autem qui negat sic declaratum in caelis assistere, vt tradunt supradicti DD. & specialiter Melchior Cano. Ergo Pontificis declaratio non constituit rem de fide.

2. Nihilominus probabilis existimo, non solum temerarium, & scandalosum, sed etiam erroneum, & hæreticum esse affirmare errare posse Pontificem in Sancto iuramento canonizatione. sic docet Valent. 2. 2. disp. 1. q. 1. p. 7. q. 6. §. 40. verf. itaque, pag. 230. & seqq. Mouetur primo, quia ex antecedenti §. constat de fide esse Pontificem errare non posse in legibus vniuersalem Ecclesiam spectantibus: non enim potest aliquid statuere contrarium legi diuinæ, & naturali: sed si errare posset in canonizatione Sanctorum, statueret legem contrariam legi diuinæ, & naturali. Ergo de fide est in iis non posse errare. Minorem probo; quia canonizans sanctum obligat omnes fideles assentiri illi in caelis esse, & tanquam Dei amicis venerari: si autem error adesset, iam obligaret fideles falsitari assentiri, & venerationem facere veneratione indigno, quod est legi diuinæ, & naturali contrarium. Ergo. Secundo de fide est sanctos inuocandos esse, & eorum reliquias venerandas, Ecclesiamque gaudere auctoritate declarandi, quibus hæc inuocatio, & veneratio adhibenda sit: vt constat ex Clem. & Extrauag. de reliq. & veneratione Sanctorum, & ex Trid. sess. 25. decreto de eadem re. Ergo de fide est Sanctum, qui declaratus talis est ab Ecclesia, inuocandum, & venerandum esse aliàs frustranea esset auctoritas. Ergo de fide est esse in caelis, aliàs inuocati, & venerati non posset.

3. Neque obstant contraria. Ad primum dico Pontificem non solum ex testimonio humano moueri ad faciendam canonizationem, sed ex speciali instinctu, & assistentia Spiritus sancti, ratione cuius, eius declaratio firma, & infallibilis existit.

Ad secundum, & eius confirmationem concedo fide diuina credendam nobis esse sanctitatem illius canonizati, non tamen miracula allegata, quia à miraculis canonizatio non pendet necessario, vera enim esse potest eius sanctitas, & in caelis assistentia, quin miracula allegata vera fuerint.

Ad probationem dico sanctitatem canonizati, & illius in caelis assistentiam, non esse singulariter, & explicite reuelatam, est tamen reuelata virtualiter, & implicite. Tum quia reuelatum est in caelis assistere, quia in gratia ex hac vita migravit, itémque est reuelatum, Pontificem errare non posse ob assistentiam diuini Spiritus in iis, quæ ad religionem vniuersalis Ecclesie pertinent. Ex quibus manifestè deducitur de fide esse, hunc canonizatum verè in caelis esse, cum sequatur ex vera præmissa de fide, & altera euidenti, vt patet in hoc discursu. De fide est Pontificem errare non posse in his, quæ cultum vniuersalis Ecclesie spectant, sed veneratio huius Sancti postea canonizatione est cultus obligans vniuersalem Ecclesiam.